



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De poenitente, si in ipsa poenitentibus de corpore exierit, & reconciliari
desiderat. xvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Vt presbyteri de occultis peccatis iussu episcopi
pœnitentes reconcilient. Cap. XVI.*

VT presbyteri de occultis peccatis iussione Episcopi
pœnitentes reconcilient, & sicut supra præmissimus,
infirmantes absoluant, & comunicent.

*Ex decret.
Euarist.
papæ, ca.
4.*

*De pœnitente, si in ipsa pœnitentia de corpore exierit,
& reconciliari desiderat. Cap. XVII.*

QVI recedunt de corpore pœnitentes, placuit sine
reconciliatoria manus impositione eis communi-
nicare, quod in moriente suffecit, consolatione
secundum definitiones patrū, qui huiusmodi communi-
onem congruentem viaticum nominarunt: vt si superuixe-
rint, stent in ordine pœnitentium, vt ostensis necessariis
pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum re-
conciliatoria manus impositione percipiant.

*Ex cōcil.
Arausi-
co, cap. 3.*

*Vt quinta feria ante Pascha pœnitentibus sit remitten-
dum. ante autem, si ad desperationem infirmi-
tatis deuenerint. Cap. XVIII.*

DE pœnitentibus autem, qui siue ex grauioribus com-
missis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nul-
la interuenit ægritudo, V. feria ante Pascha eis remitten-
dum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterū,
de pondere æstimando delictorum sacerdotis est iudica-
re, vt attendat ad confessionem pœnitētis, & ad fletus at-
que lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum vi-
derit congruam satisfactionem. Sanè si quis in ægritudi-
nem inciderit, atque vsque ad desperationē deuenerit, ei
est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de hoc seculo ab-
que communiōne discedat.

*Ex epist.
Innocētiū
papæ, ca.
7.*

*De illis qui in Ecclesia remitti peccata non
crediderint. Cap. XIX.*

QVI verò in Ecclesia remitti peccata nō credens, cō-
tēnit diuini muneris largitatē, & in hac obstinatiōe
mētis diē claudit extremū, reus est illo irremissibili pecca-
to in spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit.

*Ex dictis
August.*

Quod infirmis omni hora cibum sumere liceat. Cap. XX.

Infirmis licet omni hora cibum, potumq; sumere, quo-
tiscunq; desiderant.

*Ex cōcil.
Mogūti.
cap. 23.*